

Handwritten text and numbers on the adjacent page, including the numbers 3, 7, 8, and 1.



SELECTARVM ⁸⁵
JURIS QVÆ ⁵¹
STIONUM ^{1637 15.}

*Ad faciliorem Paratitlorum Wesenbecii in-
tellectum directarum*

DISPUTATIO V.

SUB PRÆSIDIO

Viri Excellentissimi, Consultissimi, Clarissimi,

Dn. JOHANNIS OTTONIS TABORIS,
J. U. D. eiusdemque in Florentissima inelytæ Reipubl. Ar-
gentoratensis Universitate Professoris Publici, Patroni, Fau-
toris, Promotoris & Præceptoris sui omni observan-
tiæ, amoris & honoris cultu æternùm ve-
nerandi, colendi.

R E S P O N D E N T E

JOHANNE BERNHARDO *Wibb /*
Wimpinensi.

In auditorio Ictorum

Mense Januarij

Die *horis antemeridianis*

I N S T I T U T A.


A R G E N T O R A T I,

Typis heredum Pauli Ledertz.

A N N O

M. DC. XXXVII.

28



Divinâ adspirante gratiâ.

Disputatio V. ad lib. 2. tit. 4.

Respondente

JOH. BERNHARDO Wild / Wimpinensi.

Questio I.

N in notoriis etiam requiratur Citatio? Affirm. ^{nr. 3.}
Wesenb. cum alleg. h. Geil. 1. O. 48. n. 2. Negat cum Mynf.
& aliis Treutl. 1. d. 4. th. 8. a. Ummius disp. 5. de proces. n. 44.
maximè per cap. cum olim. 12. in fin. ibi: ei licet absenti cum
de subreptione liquido constet, perpetuum silentium impo-
nentes. de R. I. Item quod in notoriis nulli bono sit citatio. Enimverò
rectè lubricam & periculosam vocat hanc sententiam Bachov. ad
Treutl. d. l. cum vix ulla possit esse tanta notorietas, quæ omnem
excludat exceptionem. Itaq; verius est citationem in omnibus cau-
sis, utcunq; negotium videatur aut dicatur notorium, requiri, ni-
si notorietas talis sit, quæ executioni quoque initium justum præ-
stet: qualis est in casu d. c. 12. ubi ex actis partium non minus quàm
sedis apostolicæ constabat collationem beneficii per subreptionem
impetratam fuisse: unde tanquam invalida etiam sine citatione
partis ulteriore cassatur. v. P. Frider. 2. de mandatis. 17. n. 7.

Q. 2. An citatio perpetuet actionem? Aff. Autor ^{n. 15.}
maximè de jure Pontificio, Magis cautè in parat. C. nu. 12. quæ verbotenus in
Schneidevy. translata sunt, & ad §. ult. l. de pœnâ tem. legit. citatione in-
terdum actionem perpetuare l. 1. & 2. C. quando lib. princip. datus. ad-
de Oldendorp. clas. 1. act. 5. n. 5. ibi: Olim actiones non perpetuabantur nisi
lite contestata. l. 16. de offic. pres. hodie etiam per citationē l. 3. & 7. C. de
prescript. 30. annor. Negat contra Authorem nominatim Ummius
d. disp. 5. de proces. n. ult. quia etiamnum id demum fiat litis contesta-
tione; & textus ab illis allegatos saltem id ostendere, citatione ju-
risdictio-

risdictionem perpetuari: Idem statuit Bocer. *class. 6. disput. 3. th. 57.*
 Qua de re sciendum est: initio, non semper libellum Principi obla-
 tum litis contestationem inducere: Sed demum in actionibus præ-
 toriis annalibus, non etiam civilibus aut prætoriiis, quæ longiori
 tempore vivunt. *l. 2. C. d. t. l. 3. C. de præscrip. 30. annorum. Cujac. in lib.*
1. qq. Pauli ad l. 15. de in jus vocand. E. malè inde argumentum duci-
 tur ad omnes actiones. deinde non sola libelli oblatio hunc effe-
 ctum habet. *l. 5. ad Scr. Turpill.* sed conjuncta cum Principis rescri-
 ptione. *l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Nam utrumq; requiritur,
 ut perinde atq; litis contestatione actiones perpetuentur: *Ita loqui-*
tur aut sentit. cum Dd. ad l. 2. C. d. t. Cujac. d. l. vitiosè editus ab Alexand.
Schoto, ut alibi quoque passim. denique obtinet hoc tantum in libel-
 lo principi dato, ad quem etiam Princeps ipse rescripserit: non in
 libello præfidi dato: Malè ergo iterùm argumentum ad solam cita-
 tionem à judice inferiore emanantem, inde derivatur. Nec minore
 vitio laborat alterum postulatum, quo Wesenb. citationem cum li-
 tis contestatione exæquat, quia sc. gl. Br. & Dd. *in l. ubi acceptum. 30.*
de judiciis. judiciū accipi & incipere tradant per solam citationem.
 Accipi enim judicium propriè dicitur, postquam magistratus adi-
 tus judicium vel actionem dederit, formula judicii reddita: qua
 redditione judicium constitui ferebatur: constitutum accipi cum
 litigatoribus: Et quia lite contestata eodem tempore reddebatur
 judicium; hinc usu juris ead. ista, post litem contestatam & post ac-
 ceptum judicium. *Donell. 24. cōment. 1. conf. l. 1. C. de lit. contest.* Quod
 si maximè dicatur de sententia juris Canonici procellum & litem
 à citatione incipere: (*quanquam in c. gratum. 20. de off. & pot. deleg.*
non dicatur judicium acceptum, sed negotium cæptum: Itemq; in Clem.
2. ut lite pendente, lis pendere, postquam citatio emanavit, scil. quantum
ad hoc, ut interim nihil innovetur: non autem simpliciter:) Tamen Ma-
 jor non probatur ex *l. ult. C. de præscrip. 30. annorū,* quasi scil. ge-
 neratim processu qualitercunq; cæpto actio perpetuetur: Siquid.
 ea *L. in specie de litis contestatione loquitur, ut Cujacius bene*
docet. in recit. ad d. l. ult. ibi: Ex hac lege ult. intelligimus actionem
personalem post litis contestationem atque etiam nonnullam judicii exer-
citationem perpetuari & c.

Lib. II. Tit. 5.

Q. 3. An altera pars rubricæ hujus tit. huc quadret? ^{n. 3.}
Negant Cujac. in parat. ff. de in jus voc. ubi hanc inscriptionis partem
per errorem translata fuisse docet, & in comment. ad l. 1. Pauli ad Edi-
ctum ad l. 2. h. t. med. ubi dicit, quod additur in hoc t. Sive quis eum v.
quem e. e. n. d. procul dubio in tit. superiorem referendum est, ut ille sit: De
in jus vocando & si quis eum vocaverit q. e. e. n. d. Idemque sentit Wesen-
b. in f. quia nihil. h. t. ea de re agatur: Affirmat C. I. A. h. t. 4. Zasius in
parat. h. t. n. 4. qui fallentias regulæ superioris tituli: citatum debere com-
parere: in isto & seqq. titulis constituit. At ratio Wesenb. etiamnum
urget, nihil esse in nigro quod sustineat rubrum! esse ergo titulum
saltem supervacaneum! Nisi dicamus hunc etiam titulum gene-
ralem esse & ad seqq. quoque pertinere: (uti sanè in tituli. 6. l. 1. fine
& 2. pr. agitur de eo, qui contra edictum in jus vocavit.) vel verba
ista posteriora limitationis causa adjecta esse, ut intelligamus eum
demum vocatum & non euntem puniri, qui ex Edicto vocari po-
tuerit: aliàs non puniri posse, qui vocari non debuerit. arg. d. l. 3. Et
verisimile est, in Edicto perpetuo conjunctâ fuisse inscriptionem,
quam adeo Tribonianus tanquam rei illustrandæ utilem præter-
mittere noluerit; licet nihil rubricæ per se claræ subjecerit in h. t.
sed demum in septimo, ubi res plusculum dubitationis habere vi-
debatur. Atque ita in tit. de in jus vocando l. 12. pen. & ult. statue-
mus puniri irreverentiam eorum, qui contra edictum in jus vo-
cant. Hoc autem tit. agi de excusando temerè vocato, à mulcta non
euntibus præstituta.

Tit. 6.

Q. 4. An etiam vocante magistratu Ordinario, sa-
tisfactione quis à necessitate comparitionis liberetur?
Neg. Wesenb. parat. h. in fin. hunc titulum ad violentam raptionem
tantum pertinere contendens: à magistratu autem vocatum, omninò &
præcisè venire necesse habere. E diverso id Affirmat, nominatim ab
authore hoc in loco dissentiens, Bachov. in comment. ad l. 3. h. t. Quia
magistratus per apparitorem vocantis non aliter interfit, quam re-
spectu petitoris: Proinde nihilominus apud eum satisfactione licere
defun-

defungi : Disting. an per contumaciam, malitiam aut petulantiam & vexandi adversarii causa, reus vocationem magistratus eludere satisfactione conetur; an vero legitimo quodam impedimento ostenso: Priori casu, cum nullae justae causae differendae comparationis allegari poterant, vel saltem occupationes ordinariae; ne nunc quidem satisfactionem putem proficere (*licet occupationes olim forte reum excusaverint.*) vocatione enim & imperio magistratus nihil prius aut antiquius esse debet; Posteriori casu etiam num reus defungi satisfactione poterit: quia hic demum nihil amplius magistratus interest, si reus caveat se in iure condicto vel imperato die Nov. 53. affuturum; secum agendi potestatem auctori facturum l. 8. *siquis caution.* & iudicium ibi a praetore dictandum, accepturum l. 10. in f. d. t. Donell. 29. comment. 9.

Tit. VII.

n. 3.

Q. 5. Ad quid detur actio in factum, contra eum, qui vi eximit in jus ductum, comparata? Wesenb. in n. 3. cum gl. & Dd. alleg. statuit eam dari in id, quanti ea res, de qua agitur, iurejurando auctoris fuerit aestimata: adde Oldend. class. 1. act. 5. n. 5. Quia scilicet iuramento semper opus sit, quotiescunque aestimatio conferatur, non in iudicem; sed in litigantem. Bachov. r. disp. Treutl. 21. th. 12. l. g. & disp. 7. de act. 10. p. 61. ibi ius aestimandi auctori nunquam citra iuramentum permitti videtur. text. not ab. in l. 16. §. 3. de pignor. E. diverso post Fulgos. Duar. ad l. 5. d. t. in litem jur. n. 9 hic non de ea aestimatione quaerit per iusjurandum in litem, agi docet; sed de aestimatione eius rei, quaerit in libello ab auctore petita est, licet illa iniqua sit, & reus eam non debuerit; in eamque sententiam, mutato animo, secedere videtur ipse Bachov. in comment. ad l. 5. §. 1. h. t. ubi statuit, condemnari reum tanti, quanti fuerit res principalis (1.) quia actio haec sit poenalis: at vero absurdum esse, ut in actione poenali iuret in litem (2.) item ut calumniator ad hoc iuramentum admittatur. (3.) denique quia hic nec contumacia nec dolus in re restituenda (ob quem iusjurandum in litem tantum desertur) vertatur: easdemque ferè rationes, quanquam confuse exsequitur etiam Hunnius ad d. disp. Treutl. 21. post quaest. 65. p. 14. 39. In quam sententiam etiam trahi potest forte (4.) figura verborum in d. l. 5. §. 1. h. ubi non dicitur quanti res aestimata fuerit: sed quanti aestimata est scilicet



scilicet in libello priori. Zafius autem in parat. h. t. n. 4. post Alexandr
distinguit. An post executionem factam citatus nihilominus de-
inceps exactus fuerit: vel non. Priori casu, contra eximentem
actionem istam non dari, nisi quantum ad ea, in quibus actoris ul-
tra interfuit propter exemptionem; & hoc interesse tanti aestima-
ri, quanti in litem etiam ex affectione fuerit juratum: iudicis ta-
men moderatione salva: Posteriori casu, si contra eximentem illi-
co actio instituat, puta quia forte jus actoris contra reum prin-
cipalem temporis lapsu perierit: vel aliàs actor contra ipsum fun-
datam causam litigandi non habuerit: Tunc quicquid ab eximen-
te exactum fuerit, totum pœnam esse & interesse actoris non se-
cundum veritatem rei, sed secundum ipsius actoris aestimationem
considerari: neque tamen reum principalem propterea liberari, si
quod actori jus contra eum validè competierit facit l. 7. §. 1. de con-
dict. furt. l. stichum. 95. §. dolo. 9. de solut. Et hanc opinionem dicit
etiam communem. Enimverò cum pleriq; omnes (exceptis paucis
è veteribus, quos Br. ad l. pen. §. 1. h. inf. notat, qui rei aestimationem pro-
bari volunt per alios) fateantur hac actione peti, non id, quod in ve-
ritate est; sed quanti ea res ab actore aestimata est: Jam v. & per jus-
jurandum lis ab actore aestimetur, l. 1. 2. 3. 8. de in litem jur. l. 46. 47. de
R. V. & aliàs quoq; ubi aestimatio litis parti confertur; ut in l. 15. §. 7.
Quod vi aut clam, per jusjurandum in litem id fieri debere innuatur;
l. 15. §. 9. h. non sine causa Dd. jusjurandum exigunt; per d. supr. Li-
cet enim in actione pœnali non facilè jusjurandum in litem detur:
sed sufficiat pœna à Lege proposita, nec reus ultra gravandus sit;
secus tamen est, ubi jusjurandum non ad ampliandam, sed ad coër-
cendam veluti pœnam tendit, ut in l. 9. C. unde vi. l. 8. §. 1. de act. rer.
amot. d. l. 15. §. 7. 9. 10. Quod vi aut clam. Neque enim hîc interesse &
verum rei pretium opponuntur: sed removeretur planè consideratio
veritatis pretii, & pœnæ loco, statueret aestimationi actoris, etiam ca-
lumniantis: quam sanè ne ille in infinitum extendat religione ju-
risjurandi frænandus est. Neque hoc (2.) absurdum evadit in per-
sona calumniatoris: Nam ut benè Br. d. l. inf. quia calumniator ve-
rum interesse nullo modo probare posset, nisi ejus juramento sta-
retur: E. vel ejus causa juramentum hoc admittendum est. Licet
autem

autem (3.) regulariter & ordinariè iudex ad deferendum hoc iurandum moveatur dolo rei restituere iussi: v. *Wesemb. de in litem jurando n. 4.* tamè id dicitur potius ad excludendam culpam, quàm casus contumaciæ in non restituendo commissæ, affines & similes v. *G. I. A. d. t. th. 6.* qualis est ille hujus loci, quando vis vel dolus eximentis facit, quò minusquis sistatur *l. 3. in f. h.*

n. 5. *Q. 6.* Qua pœna coercendus sit, qui capitis damnatum vinculis eximit? Allegati ab auth. hic distinguunt, an summi principis violetur carcer & jurisdictio, an inferioris; ut ibi crimen L. M. hîc arbitraria pœna locum habeat: quam distinctionem tametsi author hoc loco non apertè amplectatur: inf. tamen *de effractorib. n. 1. & iterum de custodia & exhib. reor. n. 5.* apertissimè sequitur. Adde *Ægid. Boss. tr. de C. L. M. nu. 61. Guid. Pap. decis. 437. Heig. 1. q. 22. nu. 6.* Alii indistinctè hoc affirmant propter generalitatem *l. 4. in f. pr. ad L. Iul. Majest.* Enimverò quia nuper *in parat. ad L. Iul. Majest.* ac oculum ostensum est, textum *l. 4. d. t. pro subjecta materia,* de eo, qui de perduellione convictus aut cõfessus sit, intelligendum esse: Ideò extra hanc causam aliter distinguimus, an scil. quis dolo reum miserit, ut hic eadè pœnâ, qua aufugiens puniendus sit. *l. 4. C. de custod. & exhib. reor.* maximè si ex eorum numero fuerit, quibus custodia rei cõmissa sit: an verò culpa vel casu, ubi pro modo culpæ in eum statuendum. *l. 12. & ult. §. 2. d. t. de custod. reor.*

Tit. VIII.

n. 6. *Q. 7.* An cautio, de qua in tit. 6. hujus lib. eadem sit cum illa, de qua agitur in hoc tit. & seqq. Negat. post *Jacobin. & Angel.* à se citatos *Alvarus Valascus 1. consult. 66. n. 10. ubi & stylo & sensu obscuro hoc innuere videtur: differre has cautiones (1.) obiecto: cum prior illa ad primum duntaxat actum, & initium litis pertineat: Hæc, posterior, totam litem seu totum iudicii tractum concernat: (Contingit enim, inquit ille, quod quis vocatur in iudicio in certo termino & non potest ire seu comparere propter aliquod impedimentum: debet ergo transmittere aliquem ad illum exonerandum & ad satisfaciendum, illum intra certū diem, s. ad certum diem adfuturum: de eiusmodi fide-*

fidejussore agit. l. 1. & ult. Si quis in jus vocat, non ierit. Itemq; rubr. in jus vocat: ut eant.) (2) effectu seu duratione: ut illa evanescat eo ipso, quod persona presentatur in iudicio: (verba sunt Valasci) ista non nisi lata sententia. l. gracè §. 3. de fidejussor: Hec Valascus, ubi de practica notab. subiicit, quem etiam laudat Hillig. 23. D. E. 9. l. D. Vmmius disp. 9. de process. n. 14. fin. Rectè distinguit autor hoc & superiore numero temporum: Verius enim est cautionem, qua quis cavet se in iure stitutum, Er wolle sich zu recht stellen/Hackelm. Disp. 6. th. 31. vel zu recht stehen. Chil. König. cap. 23. pract. n. 3. bestand ins recht thun. v. q. seq. ex usu iudiciorum, qui fuit tempore Justiniani, contineri sub ista, iudicio sisti, vel saltem illam connexam habere, se in iudicio permansurum usque ad terminum litis. C. I. A. h. th. 13. v. d. seq. q. 1.

Q. 8. Utrum satisfactio plures requirat fidejussores, n. 7. an verò unus idoneus sufficiat? Wesenb. h. n. 7. distinguit inter causas civiles & Criminales: ut in civilibus unus sufficiat, in criminalibus plures requirantur. Cæterum prius illud distinctionis membrum Hering. de fidejussor. c. 9. n. 20. ita limitat: Siquita verba L. dandos esse; eamque limitationem etiam commentones meos advertere volo; an verba L. definitivè plures requirant: an verò nuda phrasi & narrandi ratione prolata sint. Hoc enim casu, cum injuriarum teneatur, qui locupletem accipere recusaverit iudicio sisti fidejussorem l. 5. §. 1. h. & sine periculo sit stipulator: (si quidem ut maximè fidejussor ex post facto existat non solvendo, aut aliàs minus fiat idoneus; causa cognita ex integro satisfandam fuerit. l. 10. in f. h. t.) regulariter plures exigi non posse clarissimum est: Posterius autem membrum Bachov. variè impugnat d. th. 7. lit. H. denique concludens vel unum locupletem sufficere: neque ad pœnæ qualitatem respiciendum esse, quia non in pœnam, sed in quantitatem fidejubeatur. Adnotamus in titid authorem potissimum de cautione iudicio sisti loqui, quo casu facilius recipi in criminalibus fidejussores, claret ex l. 1. de custod. & exhib. reor. l. 6. §. super his verò C. de appellat: deinde, (quod autor ipse hic addit) pro qualitate delicti & personarum vel plu-

H

res, ut

Disputatio V. ad lib. 2. tit. 8.

res ut in l. 3. C. de privil. Scholar. lib. 12. ubi distinctio auctoris satis fundatur: vel si delictum tanti non sit, ut comparationem causæ pecuniariæ excedat, etiam unum admitti confer. Wesenb. infer. de fidejussor. nu. 4.

n. 7. *Q. 9. An satisfactio ista & similes, etiam pignoribus hodie expediri possint? Aff. Wesemb. cum alleg. h. n. 7. circa f. exceptis actionibus, quibus bona rei sunt pignori tacite obligata, quem sequitur cum allegat. Zangero & aliis, Berlich. 1. conclus. 14. n. 67. Harprecht. ad §. 2. l. de satisf. nu. 3. facit die reformirte Ordnung der Statt Straßburg. sub tit. von dem ersten termin. §. Dieweil auch gemeiniglich/sonderlich nach eingebrachter Klage die Parthenen caution vnd bestand ins Recht zuerfordern pflegen xi. ibi: mit Bürgen oder Gütern. At nominatim carpit & reprobat Hillig. 23. D. E. 9. lit. O. Quod (1.) forma satisfactionis per fidejussores explicandæ in l. 1. h. t. l. 7. de prætor. stipul. &c. præscripta, præcisè implenda sit, ac ne in melius quidem mutari possit: Neque (2.) sola obtinendi debiti facilitas spectanda sit; sed vel maximè securitas, quæ in fidejussoribus potior; quia & plures esse & pignoratitiam cautionem gignere possint: quod non idem sit in pignoribus &c. Præsupponendum est auctorem non tam de requisitis LL. quàm de usu fori loqui, uti patet ex n. 2. parat. C. de satisfando, qui fori usus iterum non tam ex stricti juris ratione, quam benignâ interpretatione. Wesenb. parat. h. n. 4. profluxit: hoc est non tam rigidè ad Edicti verba & mentem prætoris, quàm negotiorum cum commoditate litigantium expediendorum rationem fuit exactus: Ut jam non amplius forma satisfactionis ab Edicto, sed potius ab usu fori & publica consuetudine judiciorum petenda sit. ut in simili respondet ipse Hilliger. 24. D. E. 19. lit. D. Quin imò videntur (2.) hodie tutius pignora accipi etiam propter securitatem: siquidem dum per tot ambages principalem ante omnia cogor excutere in periculo verfor, ne vel unus ille idoneus facultatibus labatur: vel alter ex pluribus illis, quorum singuli non æquè idonei sunt. Hinc est, quod pro regula traditum accepimus, plus esse cautionis in re, quàm in personâ l. 25. de R. I. item minus esse habere rem ipsam, quàm actionem l. 204. eod. Siquidem multa possunt accidere, ne rem petitam*
confe-

Disputatio V. ad lib. 2. tit. 8.

consequaris : vel propter debitoris inopiam; *l. 6. de dolo malo* vel propter sumptus in petendo, quandoq; infinitos; ac deniq; ob incertum executionis eventum: Quid quod & mora temporis & alia multa cogitanda sunt, *text. eleg. in l. quod debetur § 7. de pecul.* Inde nec de jure quidem in conventionali cautione, nec in omni prætoriam, fidejussores præcisè requiruntur; sed ferè tantum in ea, quæ exigitur pro re incerta. *Bernh. Suthold. dissert. 3. th. 44. Bachov. 1. disp. 5. th. 2. a.*

Q. 10. An immobilium possessores suæ promissioni^{n. ult.} relinquuntur? Ita statuit *Wesenb. h. t. n. ult. Trentl. 1. disput. 5. th. 2. lit. C. & in foro obtinuisse scribit Berlich. 1. conclus. 20. n. 4. facit Ordinatio Argent. sup. alleg. §. xi. ibi: Wosern er kein eingeseffener Burger sondern frembder ist: conf. tamen §. ult. ejusd. Ordin.* In negativam concedunt varii variè: Alii enim insuper juratoriam cautionem requirunt *Cujac. 12. O. 22. & in comment. ad N. 53. Hillig. 23. D. E. 9. l. 1.* alii peculiarem bonorum oppignorationem. *Anton. Faber in rational. ad l. 15. §. ult. Qui satisfd. cog. Zanger. part. 2. de excep. cap. 21. nu. 25.* Alii hoc utrumque conjunctim insuper desiderant: præter juratam, inquam, cautionem etiam bonorum oppignorationem, post *Br. & Dd. Vmnius cum alleg. disp. 9. de process. n. 26. (quorum rationes refellit Hillig. d. l.)* Tentabimus cum *Bachovio 1. disp. 5. th. 2. lit. C.* distinctionem adhibere, inter cautionem judicio fisci & satisfationes alias, v. c. rem pupilli salvam fore, usutū quem boni viri arbitratu & c. Ut priori casu possessor immobilium non opus habeat satisfatione, quia hic nulla possit allegari fugæ suspicio aut latitationis metus: licet ultrò & hi aliquando satis dedisse legantur. *l. 8. §. 1. l. 15. §. 3. Qui satisfd. cog. Dn. D. Locam. q. 385. facit sententia Syracid. cap. 37. v. 28.* Posterioribus casibus plenior aliquando cautio exigatur, in causis publicis *l. 26. §. 6. C. de episc. audient. vel aliis peculiarib. de quibus ferè loquuntur textus allegati à C. I. A. h. th. 8.* Certè in hoc tit. non fit geminæ cautionis mentio: Et *l. 15. §. ult. de nudâ repromissione accipi potest. arg. l. 3. C. de V. S.* Cæterum quæ in f. hujus tituli ab auctore de moribus Saxoniz traduntur, non solum in disputationem vocantur à *Berlich. d. 1. conclus. 20. n. 7. & 13.* sed longè aliter & distinctè quidem hodie definita sunt, in *noviss. Ordin. judicii Elector. Saxon.*

Disputatio V. ad lib. 2. tit. 8.

Saxon. l. 13. vom Vorstande sub fin. pr. ut actor habens bona immobilia, licet in alio loco, (sub ditionibus tamen Electoris) quam in loco iudicii sita, non cogatur satisfacere: nullâ inter mediatos & imediatos distinctione adhibenda. v. Georg. Schult. Synopsi Institut. tit. de satisfat. lit. a. p. 640.

Corollarii loco.

Addimus quaestionem, propriè in Collegio nostro feudali, (quod die 23. Ianuarii feliciter finitum est) agitatam: An rectè constituat differentia processus feudalis à communi, etiam in capite citationis? Ita tradit Gothof. Anton. *disput. feudali, ult. th. 2. lit. C. ubi dicit J Cli unam citationem pro tribus sufficere l. 68. de iudic. iure feudali ternam requiri. 2. f. 22.* Dissentire videntur omnes illi, qui differentiam hanc præmittunt, post veteres, Duaren. Wesenb. Schneidevv. Du. Obr. 4. feud. ult. n. 181. ibi: in hoc enim non minus quàm in aliis iudiciis fit citatio: & ibi: nonnulla tamen specialia occurrunt circa iuramentum calumnia, re-conventionem & c. Hierem. Setser. *disp. feudali, ult. th. 4.* Et sanè J Cli etiam ternæ citationis l. 8. C. quom. & quando index & edicti terni fit mentio l. 69. & seqq. de iudic. l. 53. S. 1. de Re iud. An ergo distinguendum cum Wesenb, in parat. C. n. 5. ut olim pluribus opus fuerit citationibus cum causa caderent vocati rei, nisi parerent: postea non item *conf. parat. ff. n. ult. ibi: forma Edicti peremptorii.* An verò plenius dicendum, interesse, num citatio è Jure Civili an verò Jure Canon. & morib. cõsideretur. Ut Jure Civili, præsertim ff. in jus vocatio omnino separanda sit à citatione: cum illa ante litem cõtestatam à parte ipsa: hæc demùm post litem à iudice fieret, v. Bocer. 6. *disp. 30. nn. 14.* & quidem ex arbitrio iudicantis, ut vel tria edicta proponeret, vel unum peremptorium. Cuiac. *in recit. ad d. r. C. Quomodo & quan. iud. P. Gregor. 48. syntagm. 2. n. 5. & 6. Bocer. d. l. n. 31.* Hodie, postquam Jure Canon. in jus vocatio cum citatione confusa est: Bocer. d. l. nu. 14. & vocatio etiam, jure saltem N. 112. c. 2. Bocer. n. 44. à iudice emanat: ex cõsuetudine plerorumq; iudiciorum, unica citatio sufficiat, modo tantum temporis contineat, quantum tres simplices. Berl. 1. *concl. 10. n. 2.* (tum enim vim habet trinæ citationis: post Abbat. Hartm. tit. 3. O. 6. n. 2.) Excepto casu, quo de privatione juris agitur, ubi una citatio non sufficit Scaccia 1. *de iudiciis. 95. nu. 25. P. Friderus 2. de mandat. 2. n. 2. & c. 17. n. 10.* (quo referri etiam potest casus 2. f. 22.) & aliis nonnullis Wurmser. 6. O. 1.

SELE-

X 2615926

VD.17





B.I.G.

Farbkarte #13

ARVM ⁸⁵

QVÆ 51

UM

1637 15.

orum Wesenbecii in-
ctarum

TIO V.

IDIO

ltissimi, Clarissimi,

TONIS TABORIS,

ssima inclytæ Reipubl. Ar-
loris Publici, Patroni, Fau-
is sui omni observan-
ultu æternùm ve-
endi.

ENTE

HARDO Wild /

nsi.

torum

arij

meridianis

UTA.

RATI,

i Ledertz.

XXVII.

